DUBIUM IV.

Varia de Peccato Veniali relate ad Mortale diſcutiuntur.

§. I.

An Peccatum Veniale ſit Diſpoſitio ad Mortale?

I. DE hoc agit D. Th. hac *q. 88. art. 3.* ubi ſupponit, diſpoſitionem aliam eſſe directam, quæ directe movet ad effectum; ſicut calor diſponit ad calefaciendum: aliam indirectam, quæ indirecte movet, removendo prohibens; ſicut removens columnam, quæ ſuſtentat lapidem, diſponit ad caſum lapidis.

II. Dico primo. Peccatum ex genere ſuo veniale non diſponit per ſe, & directe ad peccatum, quod ex genere ſuo eſt mortale: poteſt tamen per quamdam conſequentiam directe diſponere ad peccatum, quod ſit mortale ex parte agentis. Utraque pars traditur a D. Th. laudato. Et prior ratione ejuſdem probatur. Diſponere directe, eſt movere ad formam ſimilem ſecundum ſpeciem: ſed actus peccati ex ſuo genere venialis, non eſt ſimilis ſecundum ſpeciem cum actu peccati ex genere mortali, cum differant ſecundum ſpeciem; ergo directe &c.

Secunda vero pars probatur ratione ejuſdem. Nam ex frequentatione venialium augetur diſpoſitio, & pronitas ad peccandum in illo genere; in tantum, ut ea augmentata creſcat adeo libido rei conſequendæ, ut tandem finis ultimus in ea conſtituatur: hoc eſt, ut propter eam paratus ſit homo peccare mortaliter, & ex amore illius Deum, ejuſque legem deſerere. Sic dum quis vanis colloquiis, aut ludo aſſueſcit, multumque eis oblectatur; facile evenit, ut propter vanam illam voluptatem Sacrum prætermittat in die feſto: vel ut a vanis colloquiis ad detractiones gradum faciat. Hæc eſt conſequentia, qua ex repetitione venialium trahitur agens ad peccandum mortaliter: trahitur, inquam, non neceſſitate, ſed libera voluntate. Unde D. Thom. *in 2. diſt. 24. q. 3. art. 6.* ait: *Quanto enim magis conſueſcit in aliquo opere, tanto magis ſibi placet illud; quia ſignum habitus eſt delectatio operis, ut in 2. Ethic. dicitur. Hoc tamen non de neceſſitate contingit: quantumcumque enim excreſcat pronitas ad peccandum, per iterationem venialium, ſemper tamen manet libertas in voluntate, ne in peccatum mortale delabatur.*

III. Dico ſecundo. Peccatum veniale ex genere poteſt indirecte, & removendo prohibens, diſponere ad peccatum mortale ex genere. Ita D. Thom. hic, nempe *q. 88. art. 3.* Qui enim ſpernit modica, paulatim decidet *Eccli. 19. v. 1.* Et ratio eſt: nam qui aſſueſcit in minoribus non ſubjicere voluntatem ſuam divino ordini, paulatim diſponitur ad hoc, ut non ſubjiciat eam ordini finis ultimi: removet enim ſubjectionem voluntatis ſub Deo, qua prohibetur inordinatio. Rurſus: peccata venialia, etiam illa, quæ ex genere ſuo ſunt talia, minuunt fervorem charitatis, & obicem ponunt divinis inſpirationibus, & auxiliis, per quæ homo roboratur contra tentationes peccatorum mortalium; ergo indirecte diſponunt ad mortale.

IV. Collige tamen, peccatum veniale ex imperfectione actus directe diſponere ad mortale ejuſdem generis, ſive objecti: parvum enim furtum directe diſponit ad furtum magnum; & conſentire pravæ concupiſcentiæ, diſponit ad luxuriam completam.

V. Sed dices primo. Peccatum veniale, & mortale ſunt quaſi duæ ſpecies dividentes genus peccati, & proinde oppoſitæ: ſed unum oppoſitum non diſponit ad aliud; ergo &c.

VI. Reſpondeo cum S. Thoma hoc *art. 3. ad 1.* peccatum veniale, & mortale non dividere genus peccati ex æquo, & tamquam duas ſpecies oppoſitas: ſed tamquam perfectum, & imperfectum, ſicut ſubſtantia, & accidens dividunt ens. Unde ſicut accidens poteſt diſponere ad ſubſtantiam, ita peccatum veniale ad mortale: utrumque enim ſimile eſt in genere: *In quantum utrumque importat defectum debiti ordinis, licet aliter, & aliter*, docet idem S. Doct. ibi ad 2.

VII. Dices ſecundo. Nedum veniale peccatum poteſt diſponere ad mortale, ſed etiam quodlibet opus bonum; dicente Auguſtino in Regula (Epiſt. 109. 211.) *Superbia bonis operibus inſidiatur, ut pereant*; ergo vel omnia opera bona erunt peccata venialia; vel quod diſponit ad mortale, non eſt peccatum veniale.

VIII. Reſpondet D. Thom. citatus *ad 3.* neg. abſolute ant. Etſi enim ſuperbia interdum ſumat occaſionem peccandi, etiam mortaliter, ex bonis operibus, faciatque ea materiam, ſeu occaſionem peccati; hoc tamen eſt omnino per accidens; cum bona opera per ſe & ex natura ſua diſponant potius ad conjunctionem hominis cum Deo. Venialia autem ex natura ſua directe, vel indirecte ad mortale diſponunt: *Opus bonum* (inquit S. Doct.) *non eſt per ſe diſpoſitio ad mortale peccatum; poteſt tamen eſſe materia, vel occaſio peccati mortalis per accidens: ſed peccatum veniale per ſe diſponit ad mortale.*

§. II.

An peccatum Veniale fieri poſſit Mortale?

IX. QUoad præſentem quæſtionem obſervat D. Thom. hac *q. 88. art. 4.* peccatum veniale fieri mortale, poſſe tripliciter intelligi: *Uno modo ſic, quod idem actus numero primo ſit peccatum veniale, & poſtea mortale.* Et de hoc reſolvit ita: *Sed hoc eſſe non poteſt. Quia peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, ſicut & quilibet actus moralis: unde non dicitur unus actus moraliter, ſi voluntas mutetur, quamvis etiam actio ſecundum naturam ſit continua; ſi autem voluntas non mutetur, non poteſt eſſe, quod de veniali fiat mortale.* Idem docet *q. 7. de Malo art. 4.* & *in 2. diſt. 24. q. 3. art. 6. ad 5.*

X. Dico ergo primo. Actus, qui ab initio eſt peccatum veniale, poteſt ita continuari, ut in progreſſu fiat peccatum mortale, manens idem in eſſe naturæ, non tamen manens idem in genere moris. Prior pars ſupponitur a D. Thom. & conſtat: quia poteſt aliquis actus inchoari cum advertentia, & deliberatione imperfecta, qui cum pleno judicio continuetur; ergo ſi verſetur circa materiam notabiliter malam, is, qui prius erat peccatum veniale, poſtea erit mortale, manens idem ſecundum eſſe naturæ.

Secunda vero probata manet ratione D. Thom. Non enim dicitur unus actus numero ſecundum eſſe morale, ſi voluntas aliquo modo mutetur; quia peccatum, ſicut & quilibet actus moralis, in ratione voluntarii conſiſtit: ſed non poteſt fieri de veniali mortale, niſi voluntas mutetur; ergo ſemper eſt alius actus numero ſecundum eſſe morale, quando de veniali fit mortale. Eo vel maxime, quia fere in infinitum diſtant: mortale enim debitum ordinem ad finem ultimum evertit, quem veniale ſalvat.

XI. Sed dices. Peccatum veniale, & mortale ex Div. Thom. ſe habent ſicut morbus curabilis, & incurabilis: ſed idem morbus initio curabilis, poteſt fieri incurabilis; ergo &c.

Reſpondeo cum D. Thom. hac q. 88. art. 4. ad 3. *Quod morbus corporalis non eſt actus, ſed diſpoſitio quædam permanens; unde eadem manens poteſt mutari: ſed peccatum veniale eſt actus tranſiens, qui reſumi non poteſt.* Eodem modo reſpondet *q. 7. de Malo art. 3. ad 11.* ubi addit: Quod *ſimilitudo attenditur ſolum quantum ad hoc, quod ſicut languor eſt deordinatio naturæ: ita peccatum, eſt deordinatio actus.*

Alio modo (proſequitur D. Thom.) *poteſt intelligi, ut id, quod eſt veniale ex genere, fiat mortale: & hoc quidem poſſibile eſt, in quantum conſtituitur in eo finis; vel in quantum refertur ad mortale peccatum, ſicut ad finem.* Unde

XII. Dico ſecundo. Fieri poteſt, quod peccatum, ex ſuo genere veniale, fiat mortale. Non ſic tamen, ut veniale ex genere, ponatur in eſſe, & poſtea idem manens fiat mortale, ſed quod id, quod eſt veniale ex genere, tali modo fiat; ut quamvis ex ſua ſpecie ſolum habeat, ut ſit veniale, hic & nunc tamen habet, ut ſit mortale. Sic verbum jocoſum ex ſua ſpecie habet, ut ſit veniale: ſi tamen quis in eo ultimum ſibi finem conſtituat, vel proferat, ordinando illud ad inducendam mulierem ad adulterium, in tali circumſtantia eſt mortale.

XIII. Tertio modo (pergit S. Thom.) *Poteſt intelligi, ita quod multa peccata venialia conſtituant unum peccatum mortale. Quod ſi ſic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter conſtituatur unum peccatum mortale, falſum eſt ... Si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale diſpoſitive, ſic verum eſt, ſicut ſupra oſtenſum eſt.* Ita D. Th. cum quo

XIV. Dico tertio. Peccata venialia, quantumcumque multiplicentur, nunquam poſſunt integraliter conſtituere unum peccatum mortale: itaut ei æquivaleant, vel quantum ad malitiam, vel quantum ad reatum, poſſunt quidem facere unum mortale diſpoſitive. Hæc ſecunda pars conſtat ex §. præcedente. Prior vero traditur a S. Doct. nedum hic, ſed *q. 7. Malo art. 3.* & *in 2. diſt. 24. q. 3. art. 6.* eamque probat ſic: *Non enim omnia peccata venialia de mundo poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale.* Quod patet primo ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ, veniale autem ſolum pœnæ temporalis: temporalia autem, quantumcumque multiplicentur, non poſſunt æquiparari æterno.

Secundo ex parte pœnæ damni: quia mortale meretur carentiam viſionis divinæ, *cui nulla alia pœna comparari poteſt, ut Chryſoſt. dicit* Homil. 24. in Matth. Veniale autem non meretur talem pœnam.

Tertio ex parte pœnæ ſenſus, quoad remorſum conſcientiæ; quia improportionaliter major eſt ex peccato mortali, quam ex veniali: *Licet forte quantum ad pœnam ignis non ſint improportionabiles pœnæ.* Hæ rationes, quas hic adducit S. Thomas, ſunt a poſteriori, & conſequentes diverſitatem inordinationis, qua eſſentialiter, & a priori diſtinguuntur peccata mortale, & veniale.

XV. Rationem ergo a priori tradit S. Doct. *q. 7. de Malo art. 3.* his verbis: *Quandocumque ex multis aggregatis fit unum, oportet eſſe eamdem rationem quantitatis utrobique. Sic autem ex multis parvis lineis fit una linea; ubi vero eſt alia ratio quantitatis, ex multis non fit unum: non enim ex multis numeris fit una linea, nec e converſo. Peccatum autem veniale non habet eamdem rationem magnitudinis cum mortali. Nam quantitas peccati mortalis eſt per averſionem a fine ultimo, quantitas autem peccati venialis eſt ſecundum aliquam deordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem.* Quia ergo deordinatio a fine ultimo, quam eſſentialiter dicit peccatum mortale, eſt diverſæ rationis a deordinatione, quam dicit peccatum veniale; illa enim eſt a fine ultimo, iſta ſolum circa media: quantumcumque multiplicentur peccata venialia, nunquam pertingent, ut unum peccatum mortale conſtituant. Sicut quantumcumque multiplicentur numeri, nunquam fiet una linea: & quantumcumque multiplicentur homines, nunquam fiet unus Angelus.

XVI. Confirmatur ex eodem S. Thoma in *2. diſt. 24. q. 3. art. 6.* Macula peccati mortalis in infinitum diſtat ab ea, quæ eſt peccati venialis: *Cum peccatum mortale privet infinitum bonum, quod eſt bonum increatum; per veniale aut peccatum tollatur aliquod cauſatum, ut fervor charitatis: diſtantia autem privationum menſuratur ex his, quæ privantur*: atqui infinita diſtantia non eſt pertranſibilis; ergo, &c.

XVII. Tandem: generalis eſt Eccleſiæ doctrina, quod peccata venialia, ſive pauca ſint, ſive multa, non ſunt neceſſario in confeſſione aperienda: atqui ſi multa venialia poſſent unum mortale conſtituere, tenerentur homines ea aperire, cum Eccleſiæ etiam doctrina ſit, omnia mortalia eſſe aperienda; vel ſaltem, ea reticendo, exponerent ſalutem ſuam periculo: maxime quia incertum eſt, quot venialia requirantur ad conſtituendum peccatum mortale; ergo ſenſus Eccleſiæ eſt, quod multa venialia nunquam faciunt unum mortale.

XVIII. Sed dices. S. Auguſt. *Tract. 12. in Joan.* dicit: *Peccata minima*, ideſt venialia, *ſi negligantur, occidunt*; ergo fiunt mortale peccatum, quod ſpiritualiter occidit animam. Et *Epiſt. 108.* modo 265. *ad Seleucianum*, loquens de peccatis, quæ *quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt*, ait: *Quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, ſicut unum grande peccatum &c.*

XIX. Reſpondetur tamen, Auguſtinum docere ſecundam partem noſtri aſſerti: nempe, multa peccata minuta occidere hominem diſpoſitive; quia diſponunt hominem ſua frequentia ad peccandum mortaliter in ea materia, in qua aſſuetus eſt peccare venialiter. Ita D. Thom. hac *q. 88. art. 4. ad 1.* & *q. 7. de Malo art. 3. ad 1.* Et ratio eſt: quia, ut ſupra diximus ex D. Thom. in *2. diſt. 24. q. 3. art. 6.* ex multiplicatione actuum generantur habitus, & creſcit aviditas, & delectatio peccandi: itaut quis eo deveniat, quod velit etiam mortaliter peccare, juxta illud B. Gregorii l. 10. Moral. cap. 14. modo 11. *Si enim curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus.*

Et hanc fuiſſe S. Auguſtini mentem, declarat ipſe *in Pſalm.* 57. comparans peccata rhamno, qui ſpinarum genus eſt, dicens: *Rhamnus primo herba eſt, & cum herba eſt, mollis, & pulchra eſt: ibi ſunt tamen ſpinæ poſtea proceſſuræ.* E in Pſalm. 139. eamdem comparat ſpinarum radicibus, dicens: *Etenim, fratres, & ſpinæ non pungunt in radicibus. Erue ſpinas de terra, contrecta radices ipſarum, & vide, ſi ſentis dolorem. Tamen illud, unde dolorem ſentis in ſuperficie, de illa radice proceſſit.*

XX. Si dicas. Diſpoſitio poteſt fieri habitus; ergo ſi peccatum veniale eſt diſpoſitio ad mortale, poterit fieri mortale.

XXI. Reſpondeo cum D. Th. hoc *art. 4. ad 4.* ant. eſſe verum, quando diſpoſitio, & habitus differunt ſicut imperfectum, & perfectum in eadem ſpecie: *Sicut imperfecta ſcientia, dum perficitur, fit habitus. Sed veniale peccatum eſt diſpoſitio alterius generis, ſicut accidens ad formam ſubſtantialem, in quam nunquam mutatur.*

XXII. Sed quid dicendum de multis parvis furtis, quæ cum ſigillatim ſint peccata venialia, conſtituunt tamen peccatum mortale?

Reſpondeo, quod qui per multa parva furta intendit diteſcere, in ſingulis furtis peccat mortaliter: quia eſto in ſe, & ſeorſim parva ſint, & venialia; ut conjuncta tamen invicem in eo, qui ſingulis illis intendit auferre rem magnam, evadunt ſingula peccata mortalia: unde nunquam ex peccatis venialibus conſtituitur unum peccatum mortale.

§. III.

An Peccatum Mortale fieri poſſit Veniale?

XXIII. DIco primo cum D. Thom. hac *q. 88. art. 6.* Peccatum mortale non poſſe fieri veniale, per additionem deformitatis pertinentis ad genus peccati venialis. Quia per talem additionem peccatum mortale non diminuitur, ſed potius aggravatur nova deformitate adjuncta: unde dum aliquis fornicando profert verba otioſa, vel fornicatur, ut ea proferat; magis aggravat peccatum ſuum, quam diminuat. Eſto enim veniale, quod in genere peccati imperfectum eſt, poſſit fieri in eo genere perfectum per additionem; mortale tamen, quod in genere peccati perfectum eſt, non poteſt per additionem fieri imperfectum.

XXIV. Dico ſecundo cum eodem. Peccatum mortale ex genere poteſt fieri veniale, propter imperfectionem actus: puta, ſi fiat abſque plena deliberatione. Cum enim ab hac habeat ſpeciem moralis actus, hac ſublata, ſolvitur ſpecies actus moralis. Unde actus indeliberati infidelitatis, odii Dei, & ſimiles, qui ex genere ſuo ſunt peccata mortalia fiunt venialia; dum ſine perfecta deliberatione quaſi erumpunt: & hoc tam in Fideli, quam in Infideli, ut docet D. Thom. infra *q. 89. art. 5.* ubi reſolvit, motus ſenſualitatis in infidelibus, ſi primi ſint, & eis non conſentiant, irrationabiliter dici eſſe peccata mortalia. Si enim ſunt peccata venialia tantum in Fideli, multo magis in Infideli; in quo peccatum non gravatur, ſed potius minuitur, propter ignorantiam, ſecundum illud 1. Timoth. 1. verſ. 13. *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*; & peccata Fidelium aggravantur, propter gratiæ Sacramenta, ſecundum illud Hebr. 10. v. 29. *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit?* Ita D. Thom. laudato loco.

XXV. Similiter etiam id, quod eſt ex ſuo genere peccatum mortale, interdum fit veniale, ob levitatem materiæ; ut in furto, detractione, & ſimilibus; non tamen in omnibus. Quædam enim peccata ſunt, quæ ſi ex perfecta deliberatione committantur, ex levitate materiæ non excuſantur a mortali, ut infidelitas vera, & formalis blaſphemia, odium Dei, perjurium, luxuria &c.

Quæres: An circumſtantia poſſit de veniali peccato facere mortale?

XXVI. Reſpondeo cum D. Thom. hac *qu. 88. art. 5.* quod circumſtantia, manens circumſtantia, non facit peccatum de veniali mortale; ſed tunc ſolum, quando afferens deformitatem alterius generis, evadit quodammodo differentia ſpecifica moralis actus. Ratio primi eſt: quia circumſtantia, eſt purum accidens actus moralis. Ratio vero ſecundi eſt: quia circumſtantia dum affert novam ſpeciem, ſeu genus deformitatis, transfert actum de una ſpecie deformitatis ad aliam. Unde ſi aliquis accedat ad non ſuam, committit actum deformem deformitate oppoſita caſtitati: ſi vero ultra hoc accedat ad eam, quæ eſt alterius uxor, additur deformitas oppoſita juſtitiæ: & hæc circumſtantia conſtituit novam ſpeciem peccati, quæ dicitur adulterium.

XXVII. Notat tamen D. Thom. *q. 7. de Malo art. 4.* ſe loqui de peccato, quod eſt ex genere ſuo veniale; non vero de eo, quod eſt ex genere ſuo mortale, & veniale ſolum ex levitate materiæ, ut in parvo furto; vel ex carentia perfectæ deliberationis. In his enim, etſi circumſtantia non mutet ſpeciem, ſi tamen levitatem materiæ, vel imperfectionem actus tollat, facit, ut peccatum, quod erat quaſi per accidens veniale, ſit mortale. Unde Div. Thom. ſic ſe explicat loco mox citato; *Id ergo, quod eſt peccatum veniale ex genere, non poteſt fieri mortale per circumſtantiam, quæ manet in ratione circumſtantiæ; ſed ſolum per circumſtantiam, quæ tranſit in aliam ſpeciem. Sic contingit quandoque, quod aliquid eſt veniale non ex ſuo genere, ſcilicet, ex parte objecti, ſed magis propter imperfectionem actus; quia non pertingit uſque ad deliberatum conſenſum rationis, qui complet rationem moralis actus: & tunc talis circumſtantia, quæ eſt completiva moralis actus, facit de veniali peccato mortale; puta, deliberatus conſenſus ſuperveniens.*

§. IV.

An Peccatum Veniale cauſet Maculam in Anima?

XXVIII. IN hujus quæſiti reſolutione ſecum ipſe pugnare videtur D. Th. Nam hac *1. 2. q. 89. art. 1.* ſtatuit: quod, *Proprie loquendo, peccatum veniale non cauſat maculam in anima.* At *3. p. qu. 87. artic. 2. ad 3.* ita ſcribit: *Sicut in corpore contingit eſſe macualm dupliciter: uno modo per privationem ejus, quod requiritur ad decorem, puta, debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum: alio modo per ſuperinductionem alicujus impedientis decorem, puta, luti, aut pulveris: ita etiam animæ inducitur macula: uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquod temporale, & hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infuſio gratiæ: ſed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia; per quam removeatur inordinata adhæſio ad rem temporalem.* Quibus fatetur, peccatum veniale inducere maculam in anima, quod hic negat.

XXIX. Cæterum ſi bene expendantur verba S. Doctoris, nulla eſt inter ea pugna. Nam utrobique admittit, peccatum veniale cauſare aliquam maculam; & utrobique negat, cauſare maculam, quæ ſit proprie talis. Macula ergo proprie dicta vocatur ea, a qua homo ita ſimpliciter eſt maculatus, & immundus, ut nullo modo poſſit dici mundus: quia dicit totalem privationem nitoris, & pulchritudinis ex gratia provenientis. Cum ergo peccatum veniale non cauſet talem privationem; bene dicit S. Th., hoc non cauſare maculam *proprie* dictam. Et in hoc ſenſu loquuntur etiam Scripturæ, quæ Juſtos in hac vita dicunt eſſe immaculatos, & mundos: quia carent macula facientes eos ſimpliciter immundos.

XXX. Præter hanc autem adeſt alia macula, non ita proprie talis; quæ eſto non privet animam decore gratiæ, nec eam reddat coram Deo deformem: eam tamen quaſi obnubilat, efficitque minus nitentem, & fulgidam, minuens charitatis fervorem, ex inordinata adhæſione ad aliquod temporale. Et de hac dicit D. Th. *3. part.* peccatum veniale importare maculam: & Scripturæ agnoſcunt in Juſtis aliquam ſordem emundandam. Similis ergo eſt hæc macula illi, quam corporibus bene terſis, ac politis affert levis attactus, ſeu afflatus, ſive luti, aut pulveris, quæ ſine ulla externa ope poſſunt evaneſcere; vel ipſo nitore veluti eam pellente; vel homine ipſo actu proprio eam tergente. Ita & peccati venialis macula, vi & exercitio charitatis pelli poteſt abſque ullo ſuperaddito remedio. At peccati mortalis macula ſimilis eſt ei, quam corporibus bene terſis, ac politis adfert ſordidarum, ac immundarum rerum contactus; eaque adeo ſordidata relinquit, ut ab ea ſorde mundari nequeant ſine externi agentis adjutorio. Sic macula peccati mortalis anima tota ita redditur deformis; ut niſi tota per gratiam abluatur, & mundetur, priſtino nitori reſtitui nequeat.

XXXI. Porro concedendum eſſe, peccata venialia aliquam maculam imprimere in anima, ſuadent Scripturæ. Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Job 15. v. 14. *Quid eſt homo, ut immaculatus ſit?* Joann. 13. v. 10. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet.* Ubi ſignificatur, quod etiam a peccatis venialibus lavamur, & mundamur. —— Suadet etiam ratio. Dum enim juſtus venialiter peccavit, quandiu non eſt conſecutus veniam, dicitur proprie, & formaliter peccator, etiam poſtquam actus peccati tranſivit; ergo in eo aliqua macula manet, a qua eget ablui, & mundari: mundatio autem a ſordibus, & maculis fit, non proprie a pœnis. Propterea Auguſt. *Serm. 41. de Sanctis* (ſeu verius Cæſarius Serm. 37.) de venialibus loquens: *Quibus* (inquit)

quit) *peccatis licet occidi animam non credamus; ita tamen eam veluti quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentia deformem faciunt; ut eam ad amplexus illius Sponſi Cæleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant, de quo ſcriptum eſt: Aptavit ſibi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.*

DUBIUM V.

An Peccatum Veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo Originali?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. ANgelicus noſter Præceptor hac *q. 89. art. 3.* quærit: an homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter. Verum quia *Tomo 1. in 1. p. q. 5. de Tentatione, & lapſu prim. Parentum Dub. 7.* quæſtionem hanc quantum Tyroni ſufficit, reſolvimus, nec aliud occurrit hic dicendum; idcirco Lectorem illuc remittimus.

II. Inquirit ulterius *art. 4.* An Angelus, ſive bonus, ſive malus poſſit peccare venialiter. Angelus in triplici ſtatu conſiderari poteſt. Primus eſt ſtatus viæ, in quo fuit conditus, dum gratiam ſimul cum natura accepit. Secundus eſt ſtatus termini, nempe, beatitudo in Angelo bono, & damnatio in Angelo malo. Tertio eſt ſtatus, in quo Angelus nec fuit, nec erit, eſſe tamen potuit: ſi nimirum creatus fuiſſet in puris naturalibus abſque gratia, & omni dono ſupernaturali; ut de Homine diximus contra Janſenium *Tom. 1. q. 11.*

III. Certum ſuppono cum eodem S. Doctore, Angelum beatum non poſſe peccare venialiter. Sicut enim hominem beatum, quia ſic intime Deo clare viſo conjunctum, ut nihil velle poſſit, niſi ipſum, & in ordine ad ipſum, peccare non poſſe oſtendimus *Tom. 1. Tract. de Ultimo fine q. 2. dub. 5.* ita hoc idem de Angelis beatis dicendum eſt. Sed nec etiam Angeli mali, & damnati venialiter peccare poſſunt: Nam hi, ut ait D. Th. hoc art. 4. *In nihilo moventur, niſi in ordine ad finem peccati ſuperbiæ ipſorum. Et ideo in omnibus peccant mortaliter, quæcumque propria voluntate agunt.* Nec refert, quod Dæmones interdum provocent homines ad riſum, ad verba ludicra, & alias levitates, quæ ſolum ſunt peccata venialia. —— Nam reſpondet D. Thom. ad 3. *Quod omnia illa, quæ videntur eſſe venialia, Dæmones procurant, ut homines ad ſui familiaritatem attrahant, & ſic deducant eos in peccatum mortale. Ut in omnibus talibus mortaliter peccent, propter intentionem finis.* Quæſtio igitur reducitur ad hoc: an dum Angeli fuerunt in via, potuerint peccare ſolum venialiter: & hoc tam in ſtatu, in quo de facto fuerunt ornati gratia, quam ſi conditi fuiſſent in puris naturalibus.

IV. Dico primo. Angelus, ſive is, qui bonus, ſive qui malus nunc eſt, non potuit peccare venialiter in eo ſtatu, in quo de facto fuit creatus cum gratia. Probat Div. Thom. primo ſic: *Major eſt perfectio Angeli, quam perfectio hominis in primo ſtatu: ſed homo in primo ſtatu non potuit peccare venialiter; ergo multo minus Angelus.* Si enim ſtatus innocentiæ requirebat abſentiam cujuſvis mali, quamdiu illa innocentia perſeverabat: magis id requirebat ſtatus gratiæ, in quo Angelus fuit creatus, quamdiu in ea gratia permanebat.

V. Probat ſecundo ratione ſpeciali. In eo ſolum contingere poteſt peccatum veniale, in quo poteſt contingere deordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem, ſalvato ordine ad finem; ſed in Angelo non poteſt contingere inordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem, quin ſit inordinatio etiam circa finem; ergo &c. Min. prob. Angelus ſicut non eſt diſcurſivus a principiis ad concluſiones, ut *ſcilicet procedat a principiis in concluſiones, ſeorſim utrumque intelligens, ſicut in nobis contingit; ſed quandocumque conſiderat eas, prout ſunt in principiis* (ut in Tract. de Angelis *qu. 4. dub. 6. §. 3.* oſtendimus) ideoque errare non poteſt circa concluſiones, quin erret etiam circa principia: ita in appetendo non eligit media ſeorſim a fine, ſed *non fertur in ea, quæ ſunt ad finem, niſi ſecundum quod ſunt ſub ordine finis;* ergo &c. Ex *natura ſua habent, quod non poſſit in eis eſſe deordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem, niſi ſimul ſit deordinatio circa finem ipſum, quod eſt per peccatum mortale.*

VI. Dico ſecundo. Si Angelus creatus fuiſſet in puris naturalibus, probabilius cenſeo, quod nec potuiſſet peccare venialiter. Hoc mihi ſuadet eadem D. Thom. ratio. In tantum enim Angelus non potuit peccare venialiter in ſtatu, quo conditus fuit in gratia; quia cum non ſit diſcurſivus, ſicut non attingit concluſiones, niſi in principiis, ita nec ea, quæ ſunt ad finem, niſi in ordine ad finem: & ideo ſicut errare nequit circa concluſionas, quin erret circa principia; ita nequit deordinare circa media, quin deordinet a fine: ſed hoc habet Angelus non ex gratia, ſed *ex natura ſua* (inquit D. Th.) ergo ſi conditus fuiſſet in puris naturalibus, hoc idem haberet; ut ſcilicet non poſſet deordinare circa media, quin deordinaret a fine, & quin mortaliter peccaret.

§. III.

Reſolvitur Dubium, & ſimul ſtatuitur, Hominem pervenientem ad Uſum Rationis teneri ſub Mortali ſe convertere in Deum.

VII. DIco. Peccatum veniale cum ſolo originali eſſe non poteſt. Ita D. Thom. hac *q. 89. art. 6.* Et probat ſic. Antequam homo perveniat ad uſum rationis, excuſatur ab omni peccato, tum mortali, tum veniali; ſi forte committat aliquid, quod ex genere ſuo eſt tale: cum nemo peccare poſſit, non habens aliquem uſum rationis. At vero cum uſum rationis habere cœperit, & proinde capax eſſe peccandi, primum, quod cogitandum ei occurrit, eſt, deliberare de ſeipſo, an ſe, ſuaque omnia velit in debitum finem referre. Quod ſi faciat, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati: *Si vero non ordinet ſeipſum ad debitum finem, ſecundum quod in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt.* Hoc idem docet *q. 2. de Malo art. 2. ad 8. q. 7. art. 10. ad 8.* ubi hæc habet: *Non eſt poſſibile, quod aliquis decedat cum originali peccato, & veniali abſque mortali: quia ante uſum rationis puer excuſatur a peccato mortali, itaut etiamſi committat actum, qui de genere ſuo ſit peccatum mortale, non incurrit reatum mortalis peccati, eo quod nondum habet uſum rationis: unde multo magis excuſatur a reatu peccati venialis. Quia quod excuſat majus peccatum, etiam excuſat minus. Sed poſtquam habet uſum rationis, peccat mortaliter, ſi non facit, quod in ſe eſt ad quærendum ſuam ſalutem. Si autem faciat, gratiam conſequetur, per quam immunis erit ab originali peccato.* Idem docet in *2. d. 42. q. 1. art. 5. ad 7. q. 5. de Malo art. 5. ad 8. q. 24. de Verit. art. 12. ad 2.* & alibi paſſim: adeo ut bene dixerit Gonet, vix fieri poſſe, ut verus S. Thom. diſcipupulus ab hac ſententia recedat.

VIII. Probatur autem ratione ejuſdem S. D. quam indicat *q. 89. art. 6. ad 3. & q. 7. de Malo artic. 10. ad 9.* Datum eſt homini præceptum convertendi ſe ad Deum, eumque ſuper omnia diligendi: ut ex illo Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* & Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quod præceptum, cum ſit affirmativum, non obligat ſemper & pro ſemper, ſed pro aliquo determinato tempore, ut concors fert Theologorum ſententia. Atqui non poteſt aliquod tempus magis proportionatum, & conveniens obſervantiæ, & obligationi talis præcepti aſſignari, quam illud inſtans morale, quo homo primo incipit ratione uti; ergo &c. Min. prob. primo. In primo inſtanti uſus rationis lex naturalis, mediante ſynderesi, intimatur homini; adeo ut tunc teneatur deliberare de ſe ipſo, ad quem finem ſe, ſuaſque operationes dirigere velit: in illo enim primo inſtanti ingreditur moraliter Mundum, & viam inchoat rationalis vitæ. Unde ſicut qui inchoat aliquod longum iter, ex dictamine rectæ rationis, & prudentiæ tenetur initio illius aliquem ſibi terminum præfigere: ita, & homo in primo illo vitæ moralis initio tenetur certam ac fixam operandi regulam, & ſcopum ſibi præfigere, quo ſe, ſuaſque operationes dirigat. Sicut enim in ſpeculabilibus prima principia ſunt, quæ ſtatim naturaliter occurrunt apprehenſioni: ita in operabilibus id, quod primo movet intentionem eſt ultimus finis. Audiatur S. Doct. *q. 7. de Malo art. 10. ad 9.* dicens: *Licet præcepta affirmativa, communiter loquendo, non obligent ad ſemper; tamen ad hoc eſt homo naturali lege obligatus, ut primo ſit ſollicitus de ſua ſalute, ſecundum illud Matth. 6.* Primum quærite Regnum Dei: *ultimus enim finis naturaliter cadit in appetitu, ſicut prima principia naturaliter primo cadunt in apprehenſione. Sic enim omnia deſideria præſupponunt deſiderium ultimi finis; ſicut omnes ſpeculationes præſupponunt ſpeculationem primorum principiorum.* Hæc D. Th.

IX. Hinc præceptum diligendi Deum vocatur a Chriſto Matth. 22. v. 38. *Maximum, & primum mandatum;* quia cætera omnia illud ſupponunt, & in eo radicantur. Eſt etiam omnium præceptorum, & totius legis finis, teſte Paulo 1. ad Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti eſt charitas.* Finis autem eſt intentione prior, utpote propter quem cætera diriguntur. Oportet ergo, ut ſtatim ac homo incipit uti ratione, & de ſeipſo diſponere, ad ſuum ultimum finem ſe ſe convertat; & ſi non faciat, inordinate ſe gerat, & peccet.

X. Minor principalis probatur ſecundo. Certum eſt, præceptum ſe convertendi per dilectionem ad Deum, aliquando obligare: ſed nullum tempus aptius videtur, quo obliget, ſicut primum inſtans, quo homo incipit uti ratione; ergo &c. Min. prob. Cum enim ab Innoc. XI. damnatæ ſint ſequentes propoſitiones: Prima num. 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Secunda n. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Et tertia n. 7. *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus:* certo tenendum eſt, aliis vitæ temporibus ejuſmodi præceptum obligare. Ab hiſce autem primum inſtans uſus rationis excludendum non eſſe, ſic oſtendo. Tunc tenemur converti ad Deum, quando egemus, ut Deus convertatur ad nos, ſecundum prælaudatum Zachariæ oraculum: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Qua ratione dicunt aliqui, hominem hoc præcepto teneri in fine vitæ: alii pro eo inſtanti, quo ſuſcipit Baptiſmum, vel Euchariſtiam; vel quando vult juſtificari, vel quando ponitur in aliqua gravi tentatione, cui facile eſt, ut ſuccumbat, niſi ad Deum per dilectionem ſeſe convertat: alii ſingulis diebus feſtis: alii cum a Deo magnum accipit beneficium. Verum quidquid ſit de omnibus prællatis opinionibus: quandonam magis eget homo, ut Deus convertatur ad ipſum, quam cum inchoat vitæ ſuæ moralis curſum: cum primo mundo, carni, Dæmoni, hoſtibus humani generis, ſe præſentat, ut auxilio Dei, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joann. 1. v. 9.) contra illos præmuniatur, & roboretur? Tunc ergo tenetur ad Deum ſe ſe convertere, auxiliatorem ſuum diligere, ad ipſum primum arbitrii ſui fructum dirigere.

XI. An vero teneatur homo, ad uſum rationis perveniens, ſe ſe convertere ad Deum explicite ſub ratione deitatis; an ſolum implicite ſub ratione boni univerſalis: & an ad Deum,

Deum, ut auctorem, & finem ſupernaturalem, vel ſolum ut auctorem naturalem; cohærenter ad ea, quæ diximus *Tom. 1. in 1. par. qu. 1. de Exiſtentia Dei dub. 2. §. 2. & Tractatu de Voluntate Dei qu. 2. dub. 3. §. 2.* probabile quidem eſſe, hominem, ad uſum rationis pervenientem, teneri converti ad Deum ſolum implicite, ut bonum ſumme honeſtum; vel etiam explicite, ut auctorem, & finem naturalem. Probabilius tamen, & menti D. Thom. conformius eſſe cenſeo, teneri converti ad Deum, ut auctorem ſupernaturalem, & explicite talem, nec deeſſe illi, pro eo inſtanti, lumen ſupernaturale, & auxilium ſufficiens ſaltem remotum, quo, ſi faciat quot in ſe eſt, ulteriori auxilio confortatus, ad gratiam juſtificationis pervenire poſſit. Videantur dicta citato loco *Tractatus de Voluntate Dei qu. 2. dub. 3. §. 2. & 5.*

§. III.

Solvuntur Rationes Contrariæ.

XII. MUlta congerunt Adverſarii, quorum aliqua, loco mox citato, ſoluta ſunt. Dicunt ergo primo. Præceptum illud ſe convertendi in Deum in primo inſtanti uſus rationis, neque in Scriptura, neque in SS. Patribus contineri; ergo gratis, & ſine ullo fundamento a D. Th. excogitatum eſt.

XIII. Dicunt ſecundo. Nimis durum videri, adſtringere pueros præcepto adeo oneroſo in illa tenera ætate, in qua plerique vix ullam Dei notitiam habent.

XIV. Tertio. Si quod tale præceptum foret, eſſet obſervatu impoſſibile: cum non conſtet, neque conſtare poſſit homini primum inſtans, quo incipit habere uſum rationis.

XV. Quarto. Nullus eſt vir doctus, & timoratæ conſcientiæ, qui ſollicitus ſit, an adimpleverit tale præceptum, & qui de ejus omiſſione ſe accuſet.

XVI. Quinto. Sequitur, pueros baptizatos fere ſemper amittere gratiam, dum perveniunt ad uſum rationis; cum nulli, vel pauci ſint, qui adimpleant tale præceptum.

XVII. Sexto. Data exiſtentia hujus præcepti, parvuli ad uſum rationis venientes, poterunt ignorantia invincibili illius laborare: cum multi viri docti, oppoſitæ ſententiæ adhærentes, illud invincibiliter ignorent, dum probabiliter illud non adeſſe, opinantur; ergo ratione talis ignorantiæ poterunt ab ejus impletione excuſari.

XVIII. Reſpondendum eſt ad ſingula. Ad primum dico, quod eſto Scriptura, aut Patres non exprimant, hominem venientem ad uſum rationis teneri ſe convertere ad Deum; paſſim tamen affirmant, hominem teneri aliquando Deum diligere; ex temporibus autem, quibus homo teneatur, unum aſſerit D. Thom. eſſe primum inſtans uſus rationis. Quod ita ſenſiſſe, probant ejus verba, hoc *art. 6. ad 3.* nempe: *Et ideo hoc eſt tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit:* Convertimini ad me &c. Non ergo excogitavit S. Thom. novum præceptum; ſed tempus, quo maximum & primum præceptum primo obligat, determinavit. Quod ſi licuit aliis Theologis alia deſignare tempora, vel finem vitæ, vel cum gravis urget tentatio, vel cum homo debet juſtificari &c. ut ſupra indicavimus; cur S. Thomæ Theologorum Principi non licebit; & maxime ob fundamenta ſolida, quibus movetur!

XIX. Ad ſecundum dico, quod durum quidem eſſet, ſpectatis naturæ viribus, præſertim corruptæ; non tamen ſpectata luce illius, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & unicuique adeſt: præſertim cum incipit ratione uti, ipſi præ oculis Deum naturæ Auctorem oſtendendo, & eum quoque ad altiorem de eo notitiam elevando.

XX. Ad tertium, nego aſſumptum. Quia tempus, ſeu inſtans, quo homo incipit habere uſum rationis, non eſt accipiendum mathematice, ſed moraliter: illud ſcilicet tempus, quo primum occurrit homini plena advertentia boni, & mali; & primo deliberat de vita, ſive ſecundum, ſive contra rationem inſtituenda: tale autem tempus ei, qui ſic cogitat, non eſt ignotum.

XXI. Ad quartum dico, quod viri probi, ac timorati, ac docti, vel ſententiæ D. Thom. adhærent; & hi ſolicitudinem ſuam de impletione talis præcepti ſatis oſtendunt, dum de occultis ſe accuſant: an enim impleverit tale præceptum, an non, occultum cuique eſt. Vel opinionem oppoſitam ſequuntur, quam ſibi probabiliorem reputant: & hi tuta conſcientia ſolicitudinem deponunt.

XXII. Ad quintum, nego ſequelam. Pueri enim baptizati a Fidelibus, piiſque parentibus educati, ac in infantia ſæpe audire divina aſſueti, dum ad uſum rationis deveniunt, tale præceptum adimplere, ſaltem plerique credendi ſunt: habitus enim fidei, & charitatis, quod in Baptiſmo receperunt infuſos, otioſi non ſunt; ſed cum primo operari poſſunt; fides proponit Deum, & charitas ad eum amandum accendit. Quod ſi aliter contingat: vel vitio ſenſitivæ partis, vel pravæ educationis, quo fit, ut non attendant ad divina, quæ ſibi tunc proponuntur, ſed ad delectabilia potius, totum tribuendum eſt. Quare Cajetanus ad hunc *art. 6.* ſic bene concludit: *Propter quod non parvi refert, ut aſſueſcat puer ad audienda ſpiritualia, & honeſta: determinatus enim habitus fidei infuſus ex propoſitis ex auditu, & charitas illum ſequitur.*

XXIII. Ad ſextum, nego, pueros ad primum inſtans uſus rationis pervenientes, hoc præceptum invincibiliter ignorare poſſe; eſto id aliquibus viris doctis contingere poſſit. Et ratio eſt: nam pueris ad illud inſtans devenientibus Deus naturæ Auctor, vel etiam gratiæ, practice, & in actu exercito, medio dictamine ſynderesis, vel etiam alio lumine ſuperiori adeo clare & evidenter proponitur, ut non relinquatur eis dubitandi locus. Semel autem hac propoſitione ab Auctore naturæ, vel gratiæ facta, & illo inſtanti morali tranſacto, paulo poſt finita, opus eſt ad novam illius præcepti cognitionem acquirendam ut ratiocinatione, & diſcurſu, qui a paſſionibus, vel rationibus dubitandi ſæpe obnubilatur: Quo fit, ut non ſolum plures viri docti de ejus exiſtentia dubitent; ſed & nos ipſi, qui S. Thomæ ſententiam tenemus, non tanta firmitate, & certitudine ei adhæreamus; quin aliquis de oppoſito formido interdum inſurgere poſſit.

XXIV. Supereſt, aliud argumentum ſolvere, in quo maximam vim faciunt Adverſarii: & eſt tale. Si quilibet homo, ad uſum rationis deveniens, teneretur ſe convertere in Deum; cum Deus impoſſibilia non præcipiat, deberet ipſi dare auxilium ſufficiens ad talem converſionem: & hoc deberet eſſe, vel quoad ſubſtantiam naturale, vel ſupernaturale; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Min. prob. Et quidem quod non ſit entitative ſupernaturale, videtur certum. Tum quia auxilia ſupernaturalia non dantur omnibus; ſicut nec fides, cujus illuminatio tenet primum locum inter auxilia ordinis ſupernaturalis. —— Tum quia, ſi cuique ad uſum rationis venienti adeſſet auxilium ſupernaturale, nullus eſſet infidelis negative: cujus tamen oppoſitum docet D. Thom. *2. 2. qu. 10. art. 1.* de illis, ad quorum notitiam nihil de Evangelio, & myſteriis fidei pervenit. —— Quod etiam illud auxilium non ſit naturale, conſtare videtur. Nam illud auxilium eſt tale, ſecundum S. Thom. hoc *art. 6.* ut ſi per ipſum *ordinaverit ſeipſum ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati:* auxilio autem naturali, niſi cum Pelagio ſentiamus, ad juſtificationem conari, aut ullo modo diſponere nos non poſſumus. Immo, ut dicemus *in Tract. de Gratia*, auxilio mere naturali, aut naturæ viribus, nec poſſumus Deum Auctorem naturæ efficaciter, ac ſuper omnia diligere.

XXV. In ſolutione hujus argumenti dividuntur Noſtrates. Ego tamen proſequens ea, quæ dixi *Tom. 1. in 1. par. Tract. de Volunt. Dei Qu. 2. Dub. 3.* quo meum Candidatum remitto, cenſeo, auxilium illud eſſe ſupernaturale; & ex voluntate antecedente ſalutis omnium procedere. Ad primam prob. in contrarium, nego antec. Jam enim ibi oſtendi, auxilia ſufficientia, ſaltem remota, quibus ſi bene uterentur, ulterioribus promoti, ad fidem, & juſtificationem adducerentur, omnibus concedit: neque fidem eſſe primam gratiam, ſed eam plura auxilia præcedere, demonſtravi §. *6. a nu. 57.* In inſtanti vero primo uſus rationis pertinere ad providentiam Dei, ut ſpecialioribus auxiliis quique perduci poſſit ad fidem; & Dei amorem.

Ad ſecundam, ibidem dixi *nu. 61.* infidelitatem negativam non tolli per quodcumque auxilium ſupernaturale ſolum remote diſponens ad fidem; ſed per explicitam propoſitionem myſteriorum fidei, quæ forte deeſt aliquibus etiam in primo uſus rationis inſtanti. Verius tamen crediderim, ut ibi dixi, Deum pro illo inſtanti illuminare quemcumque, ſaltem de illis duobus generalibus a D. Paulo, Hebr. 11. propoſitis, nimirum quia *Deus eſt; & inquirentibus ſe remunerator eſt:* cui illuminationi ſi homo cooperaretur, conferret illi Deus ulterius lumen ad credendum, & ſe convertendum perfecte; & conſequenter pro illo inſtanti neminem eſſe infidelem pure negative. Cum hoc tamen ſtat, quod in illis, qui nihil amplius de fide noverunt; & primæ illius illuſtrationis ita naturaliter obliti ſunt, ac ſi eam numquam habuiſſent, infidelitas, & ignorantia evadat negativa. Et hoc cohæret cum doctrina D. Thom. de infidelitate negativa, ad quam non determinat tempus: immo expreſſe loquitur de vitæ decurſu, præſcindens ab illo primo inſtanti. Sed hæc ſatis. Videantur, quæ citatis locis diximus.

XXVI. Quæres primo: Cur D. Thomas hoc *art. 6. in corp.* dicens: *Per gratiam conſequetur remiſſionem peccati originalis*, nihil dicit de Baptiſmo, aut ejus voto?

Reſpondeo, duplici ex cauſa id omittere. Vel quia non loquitur præciſe de hominibus, qui vivunt tempore legis Evangelicæ, ſed indiſtincte; ut ejus reſponſio includat etiam eos, qui vel ſub lege, vel ante legem fuerunt. Vel ſi loquitur de iis, qui vivunt in lege Evangelica, dum ais per gratiam conſequentur remiſſionem originalis peccati; implicite indicat Baptiſmum ſaltem in voto: gratia enim remiſſiva originalis peccati poſt Chriſtum eſt gratia includens Baptiſmi votum: niſi forte loquatur de illis, qui tempore legis Evangelicæ inculpabiliter ignorarent neceſſitatem Baptiſmi.

XXVII. Quæres ſecundo: Quid ſit aliquem pervenire ad uſum rationis?

Reſpondeo cum Victoria *Relect. 13.* nil aliud eſſe, quam hominem pervenire ad talem ſtatum, ut poſſit conſultare, ac deliberare de agendis, diſcernendo inter honeſtum, & turpe. Unde non ſat eſt, ut poſſit exercere aliquos actus circa commodum, vel incommodum naturæ: ſed oportet, ut poſſit eos exercere circa bonum, vel malum morale, ut conſonum, vel diſſonum rectæ rationi. Ad hoc autem, ut quiſpiam ad uſum rationis citius perveniat, multum juvat bona diſpoſitio organorum, & ſenſuum, ſive externorum, ſive internorum: facilis ordinatio ſpecierum ſenſibilium, quam mire facit educatio, & inſtitutio pueri. Hinc eſt quod etiam æquales in naturalibus non æquali tempore veniunt ad uſum rationis; ſed citius bene educati pueri, quam qui inter agreſtes, & rudes, aut ruſtice viventes creſcunt. Quoto autem ætatis anno hoc fiat, deſignari non poteſt: ſed arbitrio prudentum diverſimode judicandum eſt in diverſis.

XXVIII. Quæres tertio: An poſſit aliquis uſum rationis ha-

habere, vel eſſe capax ad deliberandum, & judicandum circa unam materiam, & non circa aliam?

Negat Victoria, affirmat Bannez in *2. 2. qu. 10. art. 1. dub. 2.* Conciliari tamen poſſunt, dicendo: quod licet non quilibet ſit capax judicare, & deliberare per ſeipſum, quid ſit licitum, quidve illicitum in omni materia morali; capax tamen eſt dubitare, inquirere, & conſultare: quod eſt habere uſum rationis circa omnem materiam, eſto non perfectum, imperfectum ſaltem. In quocumque enim adeſt ſyndereſis, generalia principia moralitatis proponens, ex quibus de concluſionibus particularibus ſaltem dubitare poteſt.

§. IV.

An poſſit quis peccare Venialiter, prius quam peccet Mortaliter?

XXIX. QUæres quarto: Poſſit ne aliquis habere uſum rationis ſufficientem ad peccandum venialiter; qui tamen non habeat ad peccandum mortaliter?

Reſolutionem hujus quæſiti neceſſariam exiſtimo ad præſentem materiam. Dicunt enim aliqui, quod cum ratio in homine non expediatur ſubito, ſed ſucceſſive, & paulatim ligamina ejus ſolvantur; & prius perveniat ad uſum imperfectum, ſemiplenum, quam ad plenum, & perfectum: cumque imperfecta, & ſemiplena deliberatio ſufficiat ad peccandum venialiter, ut patet in motibus concupiſcentiæ ſecundo primis, ex ſupra dictis; ſequitur, quod puer ante primum inſtans morale uſus rationis, in quo habet plenum ac perfectum diſcurſum, ſeu plenum rationis & libertatis uſum, poſſit habere motus aliquos non plene deliberatos, & in illis peccare venialiter.

Et hoc confirmare contendunt. Quia doctrina indubitata eſt apud Theologos, quod delectatio de aliquo mortaliter illicito, ſi contingat inter ſomnum, & vigiliam, ob imperfectum uſum rationis, & libertatis eſt peccatum ſolum veniale: quod docet quoque D. Thom. *in 4. diſt. 9. qu. 1. art. 4.* de complacentia pollutionis habitæ in ſomno, ſi, dum homo evigilat, contingat ex ſubreptione. Et conſtat in ebrietate, & amentia: dum quandoque ſic uſum rationis tollunt, ut relinquant uſum aliquem imperfectum, ad peccandum venialiter ſufficientem; ergo ſimiliter cum puer paulo ante, quam perveniat ad uſum rationis perfectum, ſit quaſi inter ſomnum, & vigiliam libertatis, & veluti in crepuſculo uſus rationis; nondumque perfectum uſum, & rationem libertatis attingat; poterit tunc peccare venialiter, licet, defectu plenæ ac perfectæ libertatis, non poſſit peccare mortaliter.

XXX. Reſpondeo tamen negative. Et probant aliqui ſic: nam puer ille, pro illo medio tempore, quo nondum plena ratione utens poſſet peccare ſolum venialiter, & de facto peccaret; ſi, ut poſſet, moreretur cum illo ſolo veniali, & originali, non eſſet locus, quo mitteretur poſt mortem: non quidem ad Limbum, ubi homines puniuntur pro originali, ubi non eſt pœna ſenſus, quæ tamen peccato veniali debetur: nec ad Infernum, quo detruduntur homines, ob ſolum peccatum mortale; ergo non eſſet locus &c. Unde Concilii Florentini Patres Seſſ. ultima in Decreto unionis ſanxerunt: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

XXXI. Verum huic rationi non multum fido; quia nec multum ei fidit S. Thomas. Eſto enim eam afferat hoc *art. 6.* in arg. *Sed contra*; non tanti tamen ponderis eſſe, quin ei reſponderi poſſit, demonſtrat in 2. *diſt. 42. qu. 1. art. 5. ad 7.* ubi ait: *Si tamen ponatur per impoſſibile* (quod quis decedat cum ſolo originali, & veniali) *tunc talis punietur pœna ſenſibili in Inferno, & pœna illa erit æterna: ſed hoc accidit veniali, in quantum eſt ſine gratia.* Et Qu. 5. de Malo art. 2. ad 8. *Si tamen* (inquit) *eſſet poſſibile, quod aliquis cum peccato originali, & veniali decederet; dico, quod puniretur pœna ſenſus æterna. Æternitas enim pœnæ, ut dictum eſt, concomitatur carentiam gratiæ, ex qua provenit æternitas culpæ. Et inde eſt, quod peccatum veniale in eo, qui recedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æterna pœna punitur propter gratiæ carentiam. Et ſimilis ratio eſſet, ſi quis decederet cum originali, & veniali peccato.* Idem dicit *Qu. 24. de Verit. art. 10. ad 2.* & alibi.

XXXII. Aliam ergo rationem amplector, qua idem S. Th. utitur hoc *art. 6. Qu. 5. de malo art. 2. ad 8. & in 2. diſt. 42. qu. 1. art. 5. ad 7.* his verbis: *Si enim aliquid eſt ſufficiens ad excuſandum peccatum majus, multo amplius ſufficit ad excuſandum minus: ſed imperfectio ætatis excuſat peccatum mortale; ut puer, nondum uſum liberi arbitrii habens, peccati mortalis reus non habeatur, etiamſi actum faciat, qui ex genere peccatum mortale ſit; unde multo amplius excuſat infantia, ne peccatum veniale imputetur.* Qui diſcurſus ſic explicatur: ut aliquis peccare poſſit, debet poſſe diſcernere inter honeſtum, & inhoneſtum, ſeu inter bonum, & malum morale: qui autem ſic poteſt diſcernere, ut cognoſcat parvum malum morale, multo magis poterit cognoſcere magnum malum morale: ut, qui cognoſcit, quod leviter mentiri, quod pauca furari, ſit malum; multo magis cognoſcet, malum eſſe pejerare, & furari multa: cum longe facilius ſit, hæc, quam illa cognoſcere; ergo qui, propter defectum facultatis utendi ratione, excuſatur, ne iſta majora cognoſcat, atque adeo ne peccet mortaliter, ſi ea faciat; multo magis excuſatur, ne prædicta minora noverit, ac per conſequens ne peccet venialiter, ea faciendo.

XXXIII. Nec rationem hanc infirmant ea, quæ ſuperius allata ſunt. Quando enim aliquis peccat venialiter, propter imperfectum uſum rationis, ut in exemplis allatis, etiamſi non perfecte in exercitio utatur ratione, eſt tamen in ſtatu perfecto, & facultatem habet ea utendi. Unde cauſa, quare motus ſubiti, vel ſubreptitii ſunt veniales, non eſt, quia is, qui illos habet, non poteſt perfecte deliberare; ſed quia cum aliunde poſſet, tunc non perfecte deliberat. —— Neque hinc inferas, quod cum poſſit perfecte uti ratione, non excuſabitur a mortali, ſi ſolum imperfecte ea utatur. —— Nam etſi poſſit perfecte ratione uti, ſpectata facultate, qua pollet; nihilominus quod hic, & nunc ea perfecte non utatur, non contingit ex cauſa voluntaria, ſed cauſa naturali; nimirum, vel animi infirmitate, vel phantaſia, vel paſſione rationem præveniente: ideoque excuſatur a gravi culpa.

In cauſa autem noſtra, cum puer, ante primum inſtans morale, & completum uſus rationis, abſolute careat tali facultate, etſi forte aliquem uſum imperfectum, & inchoatum libertatis, & rationis habere poſſit; incapax tamen eſt peccandi etiam venialiter; & libertas illa erit potius phyſica, quam moralis: quia non ſupponit cognitionem conſonantiæ, vel diſſonantiæ ad legem, nec dominium cum indifferentia ſuper ſingulos motus. De quo videri poteſt Cajetanus ad hunc *art. 6. §. ad Objectionem.*

XXXIV. Ex quo patet ad confirmationem, & diſcrimen inter puerum, ante primum inſtans morale uſus rationis; & hominem, inter ſomnum, ac vigiliam, ſeu in ebrietate, vel amentia conſtitutum. Iſte enim in habitu habet facultatem plene deliberandi, licet non plene, ac perfecte expeditam, ſed aliqualiter impeditam, ne actu deliberet; ille vero nec in actu, nec in habitu illam habet: unde licet ille ſit capax peccandi venialiter, non tamen iſte.

XXXV. Sed dices. Cum inter initium illius primi inſtantis moralis, & conſummationem decurrat aliquod tempus; cur non poterit puer eo medio tempore, aut loqui verbum otioſum, aut leve mendacium; & ſic venialiter peccare, antequam impleat, vel frangat præceptum ſe convertendi ad Deum?

XXXVI. Reſpondeo, non poſſe. Nam ſi pro eo tempore medio nondum poteſt cognoſcere minus malum, nempe malum eſſe leviter mentiri, aut verbum otioſum proferre: dato autem, quod pro eo tempore, quo debet deliberare de ſua converſione ad Deum, voluntarie eam retardaret, vel levibus mendaciis, vel verbis otioſis; peccaret non venialiter, ſed mortaliter. Quia, ut ait Cajetanus: *Quamvis non teneatur ante terminum deliberationis eligere; tenetur tamen, ante terminum nullum impedimentum apponere charitati: & propterea apponendo, peccat mortaliter ante terminum: ſicut deliberationi operam non dans ante inſtans, quod terminaſſet deliberationem, peccat omiſſione.*

XXXVII. Supereſſent hic duo examinanda. Unum: an peccans mortaliter conſtituat ultimum finem in creatura. Alterum: an peccatum mortale ſit in genere offenſæ gravitatis ſimpliciter infinitæ. Sed quia primum tractavimus *ſuperius Qu. 1. de Ultimo fine Dub. 6.* §. 4. ſecundum vero agitabitur, ſi Deus, dederit, in *Tract. de Incarnat.* ad Dubium: An pura creatura potuerit ſatisfacere ad æqualitatem pro offenſa mortali: propterea ea omittimus, ac præſenti Quæſtioni finem imponimus.

QUÆSTIO IV.

De Comparatione Peccatorum ad invicem.

POST diviſa in ſuas ſpecies, ſeu potius genera, peccata, recto ordine ad ea invicem comparanda progreditur; nimirum: an ſint invicem connexa: an omnia in gravitate paria: unde ſumant inæqualitatem: & alia, quæ D. Thomas hac 1. 2. *qu.* 73. pertractat.

DUBIUM I.

An omnia Peccata ſint Connexa?

§. I.

Reſolutio negans.

I. HUic quæſito occaſionem dederunt ea, quæ ſuperius *Tract. de Virt. Qu. 3. Dub. 2. & 3.* diximus; ubi ſtatuimus, virtutes eſſe invicem connexas: unde oritur dubitandi ratio: an idem dicendum ſit de peccatis.

Dico tamen. Peccata non ſunt inter ſe connexa. Colligitur primo, ex illo 3. *Reg. 15. ver. 5.* ubi dicitur, quod David non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei Dominus, *excepto ſermone Uriæ*, ideſt, homicidio, & adulterio, quod commiſit, cognoſcendo Berſabeam, & occidendo Uriam ejus virum. Unde S. Jacobus *cap. 2. ver. 11.* dicit: *Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Supponit ergo, poſſe aliquem eſſe homicidam, & non eſſe mœchum.

II. Probat D. Thom. hac *qu. 73. art. 1.* in argum. *Sed contra*, ſic: quædam vitia ſunt ſibi invicem contraria (ex Phil. 2. Ethic. cap. 8.) ſed impoſſibile eſt, contraria ineſſe eidem: ergo impoſſibile eſt, omnia vitia, & peccata ſibi invicem eſſe connexa. Hoc probat S. Auguſtin. *Ep. 29. modo 167. ad Hieron. cap. 2.* dicens: *Aliquando vitium vitio tollitur: ut amore laudis amor pecuniæ. Aliquando unum cedit, ut plura ſuccedant; velut qui ebrioſus fuerit, ſi modicum biberit, & tenacitatem, & ambitionem didicerit. Poſſunt itaque vitia etiam cedere vitiis ſuccedentibus, non virtutibus; & ideo plura ſunt. Virtus vero quo una ingreſſa fuerit, quoniam ſecum cæteras ducit, profecto vitia cedent*
omnia

omnia quæcumque inerant. Non enim omnia inerant, ſed aliquando totidem, aliquando plura paucioribus, vel pauciora pluribus ſuccedebant. Quibus S. Doct. aperit diſcrimen inter vitia, & virtutes; cur vitia connexa non ſint, bene tamen virtutes. Unde

III. In corpore art. laudati hoc diſcurſu procedit S. Thomas ſumpto ex differentia, quæ eſt inter eum, qui peccat, & eum, qui ſecundum virtutem operatur. Intentio enim ejus, qui ſecundum virtutem operatur, tendit ad unum; nempe, ut rationis regulam ſequatur, in quod tendit omnis virtus: & propter hoc omnes in una ratione agibilium, quæ eſt prudentia, connexæ ſunt: intentio vero ejus, qui peccat, non dirigitur ad unum. Etſi enim peccando recedat ab eo, quod eſt ſecundum rationem; hoc tamen per ſe non intendit, ſed potius ad aliquod appetibile ſeſe convertere: quæ cum ſint diverſa, & nullam invicem connexionem habentia, immo interdum contraria, ſit, ut peccata nullam connexionem habeant ad invicem. Unde concludit: *Non enim peccatum committitur in accedendo a multitudine ad unitatem; ſicut accidit in virtutibus, quæ ſunt connexæ: ſed potius in recedendo ab unitate ad multitudinem.*

IV. Advertendum tamen eſt, hic non negari, plura peccata inter ſe connexionem habere; ſæpe enim unum diſponit ad aliud, & aliquo modo illud cauſat. Sic ex ſuperbia naſcitur invidia; ex gula ſcurrilitas, & immunditia, hebetudo mentis; ex luxuria cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, & alia, quæ recenſet D. Gregorius *Hom. 13. in Ezech.* & Div. Thom. 2. 2. *qu. 153. art. 5.* Et tandem ex inani gloria oritur jactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia, & alia, quæ recenſet D. Thom. 2. 2. *qu. 162. art. 4.* Quapropter ſolum intendimus, non omnia vitia eſſe inter ſe connexa, eo modo, quo inter ſe connexæ ſunt virtutes; ſed aliqua potius eſſe invicem oppoſita.

§. II.

Oppoſitæ Rationes.

V. OBjicies primo. S. Jacobus *cap. 2. ver. 10.* ait: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno factus eſt omnium reus*; ergo qui unum præceptum violat, violat omnia; ergo peccata ſunt invicem connexa.

VI. Huic objectioni reſpondetur, varie exponendo verba S. Jacobi. Primo enim ait S. Thom. hoc art. 1. ad 1. *Quod Jacobus loquitur de peccato, non ex parte converſionis, ſecundum quod peccata diſtinguuntur; ſed ex parte averſionis in quantum ſcilicet homo peccando recedit a legis mandato. Omnia autem legis mandata ſunt ab uno, & eodem ut ipſo ibidem dicit: & ideo idem Deus contemnitur in omni peccato. Et ex hac parte dicit:* Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus: *quia ſcilicet uno peccato peccando incurrit pœnæ reatum, ex hoc, quod contemnit Deum, ex cujus contemptu provenit omnium peccatorum reatus.* Unde Apoſtolicæ ſententiæ ſenſus eſt: eum, qui in uno graviter offendit, eſſe reum omnium præceptorum; quatenus illum offendit, & quodammodo contemnit, qui omnium præceptorum eſt auctor, & ab eodem bono, ſcilicet Deo avertit, a quo avertunt omnia peccata mortalia. Cui expoſitioni favet Auguſtinus *Epiſt. 29. modo 167. ad Hieronymum cap. 5.* dicens: *Ac per hoc qui totam legem ſervaverit, ſi in uno offenderit, fit omnium reus; quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendent omnia.*

VII. Secundo. Reſpondet idem S. Thomas in 3. *diſt. 36. qu. 1. art. 5. ad 1.* Quod Jacobi dictum *Intelligitur quantum ad amiſſionem ſummi boni, a quo omne peccatum avertit: quo amiſſo, quidquid virtuti debebatur deperit, & omnia virtutum merita mortificantur.*

VIII. Tertio. aliter exponi poteſt, ut ly *omnium* ſumatur collective pro lege, quæ eſt collectio omnium præceptorum, ut ſit ſenſus: quicumque graviter offendit in uno, eſt tranſgreſſor legis, quæ eſt collectio omnium præceptorum: non vero diſtributive, ita ut qui offendit in uno, ſingula legis præcepta violet. Et hæc interpretatio convenit cum eo, quod apud eumdem S. Jacobum ſequitur ver. 11. *Si non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis:* non utique ſingulorum præceptorum, ſed legis, ut eſt totum collective continens omnia præcepta.

IX. Objicies ſecundo. Peccata mortalia ſic ſe habent ad invicem, ut unum non poſſit remitti, altero non remiſſo: ſignum eſt ergo, quod ſunt connexa.

X. Reſpondeo cum D. Thom. 3. *par. qu. 86. ad 3.* ſolum ſequi, ea eſſe connexa quantum ad averſionem, non quantum ad converſionem, ex qua ſumunt ſpeciem: *Peccata* (inquit S. Doct.) *quamvis non ſint connexa quantum ad converſionem ad bonum commutabile: ſunt tamen connexa quantum ad averſionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia: & ex hac parte habent rationem offenſæ, quam oportet per pœnitentiam tolli.*

XI. Sed dices. Sicut omnes virtutes conveniunt in uno principio, quod eſt amor Dei: ita vitia conveniunt in uno principio, quod eſt inordinatus amor ſui; ergo ſicut virtutes ſunt connexæ, ita & vitia.

XII. Reſpondeo cum S. Thoma hac *qu. 73. art. 1. ad 3.* diſcrimen eſſe: *Quod amor Dei eſt congregativus, in quantum affectum hominis a multis ducit in unum: & ideo virtutes, quæ ex amore Dei cauſantur, connexionem habent. Sed amor ſui diſgregat affectum hominis in diverſa; prout ſcilicet homo ſe amat, appetendo ſibi bona temporalia, quæ ſunt varia, & diverſa: & ideo vitia, & peccata, quæ cauſantur ex amore ſui, non ſunt connexa.* Quæ explicatione non egent.

XIII. Objicies tertio. Prodigalitas, & avaritia ſunt vitia oppoſita: ſed hujuſmodi, ſecundum S. Doctorem *qu. præcedente 72. art. 8. ad 3.* poſſunt eſſe in eodem; ergo ex quo vitia aliqua ſint oppoſita, non convincitur &c.

XIV. Reſpondeo cum eodem S. Doct. ibi: *Quod prodigus & illiberalis poteſt eſſe aliquis ſecundum diverſa: ut, ſcilicet, ſit aliquis illiberalis in accipiendo, quæ non debet; & prodigus in dando, quæ non debet. Nihil autem prohibet, contraria ineſſe eidem ſecundum diverſa:* quia nimirum opponuntur ſecundum genus, & non ſecundum ſpeciem. Quod ſi opponantur ſecundum ſpeciem, hoc eſt, ſi prodigalitas, & avaritia verſentur circa idem, non poterunt eſſe ſimul.

DUBIUM II.

An omnia Peccata ſint Paria?

§. I.

Quinam in hoc erraverint.

I. PEccata omnia eſſe paria in gravitate, primo dixerunt Stoici, teſte S. Auguſt. *Lib. contra Mendacium cap. 15. & Epiſt. 29.* modo 167. *ad Hieronymum cap. 2.* dicens: *Hoc autem de parilitate peccatorum ſoli Stoici auſi ſunt diſputare, contra omnem ſenſum generis humani.* Et S. Thomas hac qu. 73. art. 2. *Opinio* (inquit) *Stoicorum fuit, quam Tullius proſequitur in Paradoxis, quod omnia peccata ſunt paria. Et ex hoc etiam derivatus eſt quorumdam hæreticorum error, qui ponentes, omnia peccata eſſe paria, dicunt etiam, omnes pœnas Inferni eſſe pares.*

II. Inter hæreticos, qui Stoicorum hunc errorem in Eccleſiam intrudere conatus fuit, prior extitit Jovinianus; contra quem ſcripſit S. Hieronymus libros duos, laudatus propterea a S. Auguſt. *Epiſt. 169.* citata ad eumdem, his verbis: *Quam eorum* (Stoicorum) *vanitatem in Joviniano illo, qui in hac ſententia Stoicus erat... de Scripturis Sanctis dilucidiſſime conviciſti.* Jovinianus iſte circa finem ſeculi IV. anno videlicet 382. e Monaſterio Mediolanenſi erupit variorum errorum auctor: quorum præcipuus fuit, quod nuptias virginitati coæquabat, cælibatui detrahens. Quem errorem a modernis hæreticis excitatum, impugnavimus in *Vera Eccleſia*, & in *Colloquiis* pro cælibatu. Alter ejus error fuit, æqualem omnium fore in Cælis remunerationem, & gloriam. Hunc errorem eliminavimus *Tom. 1. in 1. par. Tract. de Viſione Quæſt. 4. Dub. 4.* Tertius, hinc conſequens, fuit, omnia peccata eſſe paria. Alios quoque diſſeminavit errores, nempe, jejunia, & a certis cibis abſtinentiam nihil prodeſſe: eos, qui plena fide in Baptiſmo renati ſunt, peccare non poſſe: & tandem B. V. Mariam in partu manſiſſe Virginem, negabat. A Siricio tamen in Concilio Romæ coacto, anno 390. Jovinianus cum ſuis hæreſibus damnatus fuit; & a S. Hieronymo, Auguſtino, aliiſque ejus ſeculi Patribus ſtrenue convictus.

III. Verum quia Jovinianam hæreſim, jam incineratam, extumularunt moderni hæretici, Lutherus, Calvinus, Anabaptiſtæ, eorumque gregales, ut locis citatis oſtendimus; maxime agentes de cælibatu, & ciborum abſtinentia, & de reliquis (ſuis locis) dante Deo proſequemur: modo unice Jovinianum, & præfatos recentiores hæreticos, tantum quoad æqualitatem peccatorum ab ipſis aſſertam, aggrediamur. Non ſolum enim omnia peccata eſſe paria, ideſt mortalia, aſſerunt, quod ſupra rejecimus; ſed & inter mortalia ipſa unum eſſe majus altero, vel aperte inficiantur, vel ex eorum principiis aperte deducitur: ſicut nec ullum meritum eſſe majus altero, impie effutiit Lutherus, dum in Conc. de Nativit. B. Mariæ: *Omnes* (inquit) *Chriſtiani æque magni ſumus, ſicut Mater Dei, & æque Sancti, ſicut ipſa.* Contra hos omnes igitur.

§. II.

Catholica Veritas.

IV. DIco. Non omnia peccata ſunt paria, ſeu æqualis gravitatis; ſed unum, etiam inter mortalia, eſt altero gravius. Prob. primo. Ex Sacris Litteris habetur, non omnia peccata æquali pœna punienda eſſe, ſed aliqua mitiori, aliqua graviori: Geneſ. 4. ver. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties:* Matth. 11. ver. 24. Civitati Capharnaum dicit Chriſtus: *Terræ Sodomorum remiſſius erit in die Judicii, quam tibi.* Si ergo diſpares erunt pœnæ, diſparia ſunt peccata. Etenim, ut ait S. Hieron. lib. 1. Dial. adv. Pelagianos: *Nec ferula dignum vitium, gladio vindicandum eſt, nec gladio dignum ſcelus, ferula coercendum.*

V. Aliqua item peccata graviora eſſe aliis, directe exprimitur Jerem. 7. ver. 26. *Pejus operati ſunt, quam Patres eorum.* Threnorum 4. ver. 6. *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Lucæ 6. ver. 42. Increpantur qui vident feſtucam in oculo fratris ſui, hoc eſt, peccatum levius, & trabem, hoc eſt, majus peccatum in oculo ſuo non conſiderant. *Joann. 19. ver. 11.* Chriſtus aſſerit, peccatum proditoris Judæ eſſe gravius peccato Pilati: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Et eo pertinent, quæ *Matth. 12. a ver. 31.* dicuntur de differentia peccati in Filium hominis, & peccati in Spiritum Sanctum: nempe, quod illud remittetur, iſtud nec remittetur, in hoc ſeculo, nec in futuro. Signum ergo eſt, Chriſtum judicaſſe gravius peccatum in Spiritum Sanctum peccato in Filium.

Unde refert Turrecremata *lib. 4. Sum. de Eccleſia p. 2. cap. 35.* hæreſes Catharorum fuiſſe damnatas, inter quas decima erat hæc: *Quod parvuli non baptizati non levius punientur æternaliter*
quam